



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 7. An ut Leges Papæ obligent in Provinciis, debent esse in illis
promulgatæ?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

elapsum tempus sufficiens, ut notitia legis promulgatæ pervenire possit ad omnia illa loca, ut patet.

Nota. Licet ignorantes invincibiliter legem promulgatam, & divulgatam ab ejus transgressione excusentur; tamen si Lex illa statuatur aliquid de esse morali rerum, vel personarum, irritando, inhabilitatem inducendo, habet omnem effectum suum circa illos præter imputabilitatem ad culpam; ut patet in legibus de impedimentis Matrimonii, de irregularitatibus spuriorum, &c. Quia tales effectus non supponunt culpam, & finis illarum legum postulat, ut habeant talem effectum circa omnes.

Q. 7. An ut leges Papa obligent in Provinciis, debent esse in illis promulgatæ?

Resp. Non pauci censent leges Papæ debere in singulis Provinciis promulgari, ut in illis obligent, nisi in illis usu receptæ sint, vel Papa expressè declaret velle se obligare omnes ubique fideles post promulgationem Romæ factam. Quia Ecclesia Jus civile servat, ubi ipsa nihil aliter instituit, ex c. 1. *De novi oper. nunt.* ubi Lucius III. ait: *sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum Constitutionibus*

bus adjuvantur. At juxta Jus civile Lex non obligat Provincias singulas nisi in illis sit promulgata, nec Eccle. a aliter de suis legibus statuit. Enim verò, inquit, suavitas, & benignitas regiminis Ecclesiastici hunc modum obligandi, quem servant leges civiles, postulant; nisi aliqua urgens causa compellat Papam ad obligandum omnes post Romanam promulgationem.

Plures verò docent Leges Pontificias Romæ tantum promulgatas obligare in Provinciis omnes, ad quorum notitiam venerint, secluso Privilegio, vel legitima consuetudine in contrarium. Probant 1. Quia ex natura rei sufficit unica promulgatio Romæ facta, cum per eam Lex possit innotescere in omnibus Provinciis, & aliunde Ecclesia nil plus statuit. 2. Ex praxi, & consuetudine Curie Romanæ, in qua Provinciarum causæ & lites definiuntur juxta Leges Pontificias Romæ tantum promulgatas. 3. Pleræque Decretales Corpori Juris insertæ, non sunt promulgatæ in Provinciis, & tamen in iis obligant. 4. Pius IV. in Bullâ *Sicut* cit. Declarat Decreta Conc. Tridentini ad reformationem, & disciplinam spectantia ubique incepisse obligare Kalendis Maii an 1564 post promulgationem Romæ factam. Et Sixtus V. in Constit. de habitu, & tonsurâ Clericorum, non requirit aliam promulgationem, quàm quæ Romæ facta est; & tamen vult
omnes

omnes ultra montes constitutos obligari intra octo menses à die publicationis Romæ faciendæ.

Nec obstat Lex civilis. Nam Papa non subijcitur legibus imperatoriis in usu suæ jurisdictionis, quam à Christo immediatè accepit; & dispositio illa Juris Cæsarei repugnat consuetudini Ecclesiæ. Equidem leges Civiles adhibentur ab Ecclesia in causis decidendis, quando sunt conformes æquitati, ac rectæ rationi, & desunt leges Canonice: quia requiritur aliqua regula decidendi causas, & tunc nulla aptior videtur lege civili.

Alii docent spectandum esse usum singularum regionum, quia modus promulgationis sufficientis ad obligationem legis usu determinari debet, cum nil de eo lege statutum est.

Q. 8. An, ut Leges humane obligent, requiritur acceptatio, seu consensus majoris partis communitatis?

Resp. Neg. Quia 1. potestas legislativa absoluta, quæ residet in Principe, est etiam potestas præcipiendi, obligandi, & exigendi legis observationem: alioquin solum esset potestas consulendi, vel proponendi subditis, num velint aliquid facere, aut omittere. 2. Obligatio obediendi necessario oritur ab authoritate Superioris, non

Tom. 1.

G